





9¹³.

16

1740, 6

255
P


FACULTATIS IURIDICAE
DECANVS,
HIERON. FRIDERICVS
SCHORCH, ICTVS,

MEMORATAE FACULTATIS ASSESSOR ET
PROFESSOR INSTITVTIONVM PVBL.
ORDIN. NEC NON CIVITATIS
CONSVL,

L. B. S.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

De iure protinifera in substitutione



INSTITUTUM THEOLOGICUM
D. O. C. A. L. I. S.
HUNTON, FRIDERICVS
SCHORCH, I. V. S.

MEMORIALI FACULTATIS MAGISTRO ET
PROFESSORI THEOLOGICO P. P. P.
GOD. H. S. C. O. N. S. I. S.
C. O. N. S. I. S.

L. R. S.

FRYDRIK
THEON CHRISTOPHOR HERING





Inter ea, quae contractui emtionis & venditionis adii-
ci sueuerunt, pacta, non infrequens est pactum *proti-*
mifcos, vi cuius venditor ius quoddam praclationis in
casum, si emtor rem emtam iterum venditurus sit, sibi
reſeruat. Meminit eius HERMOGENIANVS in l. 75. D. de
contrab. emt. nec non PAVLVS in l. 21. §. 5. D. de action. emt.
& vend. & SCAEVOLA in l. 122. §. 3. D. de Verb. oblig. idque
in venditionibus *privatis*, quae libera emtoris voluntate de-
inceps ſuſcipiuntur, vim ſuam exferere, ac primum vendi-
torem, re adhuc integra idem, quod alius obtulit, pretium
ſoluentem, huic omnino praefendum eſſe, inter omnes
conſtat. Conf. BERGERI *Diſſ. de iure ex pacto reuendendi, ſi*
vendatur. Neque vero aliud dicendum de venditione *pu-*
blica & neceſſaria, ſi ſcilicet emtor acre alieno obrutus, &
ideo, moto creditorum concurſu, eius bona auctoritate iu-
diciali ſub haſta diſtrahi neceſſe ſit: nam & ea in ſpecie
venditorem, quoad rem, emtori eidemque debitori olim
cum memorato pacto venditam, aliis licitatoribus, caeteris
paribus, antepoſiti debere exiſtimamus. Quamvis enim non-
nullis ſecus videatur, eo quod ex iure *protimifcos*, actio ſo-
lum perſonalis oriatur, quae contra tertium poſſeſſorem ſin-
gularem, cuiusmodi ſit is, qui ſub haſta emit, inſtitui ne-
queat; MARTINI in *Ordin. Proc. Saxon. Tit. 39. §. II. n. 213.*
ſeq. PHILIPP. in *Tr. de Subhaſt. c. IV. comm. 12. n. 28. 29.* haec
tamen ratio excludendo iuri *protimifcos*, ex conuentione
quaesito, haudquaquam ſufficit, ſiue iudicem, cuius aucto-
ritate ſubhaſtatio ſit, ſiue licitatore, ſive denique credito-
res, ad quorum inſtantiam res debitoris ſub haſta ueneunt,

respicimus. Iudex quippe in subhaftatione debitoris personam repraesentat, & eius factum pro facto ipsius debitoris habetur. l. 74. §. 1. D. de Evict. l. 13. C. eod. PHILIPP. c. Tr. c. I. com. 3. n. 7. 35. seq. itemque c. IV. com. 13. n. 4. §. com. 17. n. 6. sequi. Licitator autem, antequam ei res à Iudice adiudicetur, ut tertius possessor considerari nequit. vid. CARPZOV. P. 2. Const. 32. def. 10. Et creditorum nihil penitus interest, vtrum à primo venditore, an ab alio licitatore pretium rerum haestae subiectarum consequantur: Vnde hanc sententiam non immerito tuentur BERGER. in Oecon. Jur. L. 3. tit. 5. §. 14. n. 4. & in Elect. Disc. Forens. Tit. 40. Obs. 4. n. 5. WERNHERVS P. 6. Obs. 286. SCABINI LIPSIENSES ap. BARTHIVM in Hodeg. Forens. c. 1. §. 90. in nor. lit. c. alii. Sed quousque ius protimiseos, pacto quaesitum, in subhaftationibus exerceri queat? non adeo expeditum est. Plane non pauci Doctores illi tunc demum locum esse contendunt, si tempora subhaftationi praefixa nondum effluerint; iis igitur elapsis, venditorem primum non amplius audiendum esse censent. Per edictum enim omnes emturos citari, ac proin subhaftationem instar denunciationis esse perhibent. Sicuti autem in priuata venditione is, cui retractus competit, ei renunciaste reputatur, si, facta denunciatione, intra terminum à iudice praefinitum se non offerat: ita & in venditione publica, lapsu temporis à lege determinati, retractum extingui arbitrantur. Praeterea licitatorems ius quaesitum ex contractu cum iudice habere adstruunt, quod ipsi à retrahente auferri non debeat; & tandem haestae publicae fidem non facile evertendam esse monent. Comp. BERGER. in Elect. Disc. Forens. c. 1. BRVNNEMANN. in l. 16. D. de reb. auctor. iudic. possid. n. 14. SCHWENDENDOERFF. ad Fibig. c. 2. p. 101. PHILIPP. c. Tr. c. IV. com. 12. n. 26. Verum enim vero rectius sentire videntur, qui venditorem primum, etiam post elapsa tempora subhaftationis, modo adiudicatio nondum secuta sit, iure protimiseos adhuc vti posse statuunt. Edictum enim ad illos, quibus retractus competit, plane non pertinet, vipote qui per illud nec prouocantur, nec, quia tunc, cum affigitur, de certo precio rei nondum constat,

fiat, prouocari queunt. Et cum in venditione priuata denunciatio non confufe & generaliter, sed specificè fieri, & inprimis pretii ab alio oblari quantitas indicari debeat: *vid. MEY. P. 2. decis. 252. n. 2. 3. 5.* hinc edictum cum illa haudquaquam comparari posse; palam est; accedit, quod licitator, qui tandem licitando vicit, non maius ius inde consequatur, quam emtori in venditione priuata, post perfectum contractum, competit: at vero sola perfectio contractus, quamdiu consummatio per traditionem nondum facta, protimisi non excludit: & denique, quâ ratione fides hactae fiscalis in ea, quam praestruimus, specie infringatur, eo minus apparet, quoniam venditio sub hasta per solutionem sive depositionem pretii, & secutam adiudicationem adhuc dum consummata non est, quemadmodum pluribus euicerunt *HORNIVS Class. XIII. Resp. 7.* itemque ipse *BERGERVS in Oecon. Jur. c. 1.* à quibus non recedit, sed solum ius ex parte retrahentis manifestum requirit *LEYSER. Medit. ad x. Spec. 477. med. 3. § 4.* Ex dictis autem vltro consequitur, post factam rei sub hasta venditae adiudicationem, primum venditorem ius protimiseos neutiquam amplius exercere posse, cum illa traditioni in venditione priuata aequipolleat, hac vero peracta ius illud euanescat: nisi forsitan ex praecedente subhastatione vitiosa adiudicatio facta sit. *RIVIN. ad Ord. Proc. Sax. T. 39. enunc. 54.* De caetero quin primus venditor iure suo vsurus regulariter idem, quod alius obtulit, pretium praestare debeat, ambigendum non est. *v. WERNHER. P. IX. obs. 165. & P. X. obs. 306.* Interdum vero in ipso pacto protimiseos certum pretium determinatur, pro quo emtor, rem emtam rursus venditurus, primo venditori eam reuendere teneatur, quo casu in reuenditione quidem priuata retrahens ad illud tantum, non vltra, tenetur, licet ab alio maius offeratur. *RICHTER. P. II. decis. 76. n. 120.* sed num idem etiam in subhastatione procedat? difficultate non caret. Certe si emtor in fraudem creditorum, postquam aes alienum iamiam contraxit, eiusmodi pactum cum tertio inire praesumeret, illud pro inualido iure meritoque habendum foret, fatente *LYNCKERO in Resol. 249.* At si ante credita rem quandam cum tali pacto

comparauerit, multi fidem pacti seruari oportere existimant; eo quod creditores in locum debitoris succedant, omnesque conuentiones, ante concursum ab eo bona fide initas, seruare teneantur, atque adeo ius primo venditori acquisitum ei sub praetextu, quod creditoribus, si res haec subiecta pro maiori pretio vendatur, plenius satisfieri possit, eripi fas non sit, prout ita rationes subduxisse videntur ICTI IENENSES apud LYNCKER *c. Ref.* Add. LEYSER. *d. Specim. 477. Coroll. i.* Quia tamen ius venditoris primi solum ex pacto descendit, & ideo personale est, nec contra creditores, in quorum praeiudicium vergit, quique post impetratam missionem in bona debitoris pro tertiis possessoriis habendi, vrgeri potest; hinc contraria sententia verosimilior videtur. Conf. BERGER. *P. I. Resp. 136.* CARPZOV. *P. 2. const. 33. def. 3.* SCHWENDENDOERF. *ad Fibig. c. 2. p. 1055. squ.* RICHTER. *c. Decis. n. 121.* Interim quia venditori, si nihilominus protimulim exercere voluerit, atque adeo maius, quam in conuentione definitum fuit, pretium soluere necesse habuerit, actio ad interesse hactenus competit: nihil obstat, quo minus hoc ipsum, facta liquidatione, ex concursu petere possit, iuxta BERGER. & CARPZOV. *loc. allegat.* Verum de his & aliis, ad illustrationem pacti nostri pertinentibus, occasione l. 75. *de contrab. emt.* quam in lectione Curforia enucleandam sibi elegit, copiosius differet

NOBILIS ATQVE CLARISSIMVS
IURIVM CANDIDATVS

DN. JOH. CHRISTIANVS
KEYL,

Natus is est Lipsiae, anno aerae christianae 1694. die Johannis Baptistae; Patrem habuit NICOLAVM KEYLIUM, in officio Amplissimi Senatus Lipsiensis ad obseruandas portas, dum viveret, constitutum, matrem vero CHRISTINAM SCHYMANNAM. Optimus eius Pater modo laudatus ita-
tim

tim illam studiis consecrauit, nullisque sumptibus pepercit. Igitur in iuuentute primum scholam Lipsiensem publicam, diuo Thomae consecratam, frequentauit, in qua ei, postquam anno 1707. inter alumnos receptus, fideli informatione ERNESTI Rectoris, LVDOVICI Conrectoris, RVNAVII Cantoris, Musici excellentissimi, BEZOLDI Tertii, & inde ab initio GOTTHOFREDI SCHMIDII, Scholae Quarti, qui vnus adhuc superstes est, vti licuit; inprimis vero iam memorati SCHMIDII dexteritati, amori, patientiae, fidelitati, eruditioni, & reliquis, quae in plo hoc praeceptore elucet, virtutibus multa se debere, publice fatetur, optans: velit summum Numen ingrauescenti eius senectuti clementissime succurrere, eidemque longaeuam sanamque vitam vltcrius benignissime concedere. Anno 1711. d. 21. April. Rectori Magnifico Vniuersitatis Lipsiens. IOANNI SCHMIDIO, nomen dedit, atque in philosophia RVDIGERVM & HOMMELIVM, in iure vero eundem HOMMELIVM, SCHAHERVM, OLEARIVM, BARTHIVM, SCHERZERVM, PHILIPPVM, HILLIGERVM, aliosque Doctores praeflantissimos, tunc temporis Lipsiae docentes habuit. Deinde ab Amplissimo Senatu Lipsiensi iura Notariorum publicorum anno 1714. die 3. Maii, & à Facultate Philosophica Lipsiensi anno 1715. Philosophiae Magistri honores publice impetrauit. Tum eodem anno 1715. habita prius praesidendo philosophica disputatione, in Vniuersitatem Hallensem concessit, ubi eidem per integrum annum ab ore illustri THOMASII, BÖHMERIque pendere datum fuit. Anno 1716. d. 5. April. Facultas Juridica Wittebergensis in vires eius iuridicas inquisiuit, Eundemque dignum iudicauit, vt ad orandas in foro causas admitteretur, id quod etiam die 8. Iulii 1716., elaborato in Regimine Electorali Dresdensi specimine, & praestito aduocatorum iuramento, factum est. Lipsiam reversus, docendo & postulando nauauit operam, usque dum sub finem anni 1718. Osterfeldam deferretur, vbi anno 1730. grauem iacturam per coortum ibi incendium passus fuit. Interim munere aduocati feliciter hucusque fungitur, atque iurisdictionibus in circulo Osterfeldensi administrandis

Do.

Dominorum GRIESHEIMIY Praesidentis Zizenfis, TROTHII,
STAVDACHII, NATZMERI & STREITHORSTII, quos singulos
Deus diuissime seruet, felici cum successu hactenus praefuit.
Tandem Ordinem nostrum adiit, atque ut eius doctrina
instituto Examine Inaugurali exploraretur, petiit. Cui ho-
nesto desiderio postquam Facultas annuit, textus ipsi ex
vtroque Iure ad explicationem transmissi sunt, quos accurate
enodauit, & ad propositas in Examine rigoroso quaestiones
ita respondit, vt, qui ad vltiora Specimina, & ipsum etiam
Gradum Doctorem admitteretur, dignus iudicatus sit. Cra-
stino itaque die Lectionem Cursoriam ad l. 75. D. de contrab.
emt. eaque finita, ipsam Disputationem Inauguralem

DE

IVDIGE NON IVDICANTE

habebit. Ad quos actus solennes Vniuersitatis nostrae Ma-
gnificus Dominus Rector, nec non reliqui Domini Proceres
ac Ciues, ea, qua par est, obseruantia & humanitate inui-
tantur, Publicat. sub Sigillo Facultatis Iurid. d. XXXI.
Ianuarii A. O. R. M DCC XL.



ULB Halle
005 361 192


3



VD 18







1740,6

16

FACVLTATIS IVRIDICAE
DECANVS,
HIERON. FRIDERICVS
SCHORCH, ICTVS,
MEMORATAE FACVLTATIS ASSESSOR ET
PROFESSOR INSTITVTIONVM PVBL.
ORDIN. NEC NON CIVITATIS
CONSVL,
L. B. S.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

iure protinifera in Substantione

